Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26114
Copyright: Admont, Benediktinerstift

52

XIII. In esaya. Clama ne cesses. quasi tuba exalta uocem tuam.

SI DILIGENTER attenditis fratres karissimi. omnes sacerdotes domini. non solum episcopos. sed etiam presbiteros et ministros ecclesiarum in grandi periculo esse cognoscitis. Ipsis enim contestatur spiritus sanctus dicens. Clama ne cesses. quasi tuba exalta uocem tuam. et adnuncia populo meo peccata eorum. Et iterum. Si non adnuntiaueris iniquo iniquitatem suam. sanguinem eius de manu tua requiram. De ipsis etiam apostolus dicit. Obedite prepositis. et subiacete eis. Ipsi enim peruigilant tamquam rationem reddituri pro animabus uestris. Si ipse fratres karissimi unusquisque uix poterit in die iudicii reddere rationem. quid de sacerdotibus futurum est a quibus sunt omnium animę requirendę. Et ideo considerantes periculum nostrum. orate pro nobis. ut commissis nobis gregibus ita spiritualia pascua studeamus iugiter prouidere. ut pro eis rationem bonam reddere mereamur. Considerate ergo fratres karissimi quid sit quod uolo uestrę dilectioni suggerere. si tamen orantibus uobis merear. ut adiuuet me qui terret me. Inter cetera precepta sua beatus apostolus hoc etiam ait. episcopum potentem esse debere. contradicentes redarguere. Magnum opus. sed grauis sarcina. Sperabo tamen in domino. quoniam adiuuantibus uobis in oratione pro nobis. liberabit nos de laqueo uenantium et a uerbo aspero. Nulla enim causa est quę magis faciat dispensatorem dei pigriorem ad arguendos contra dicentes. quam timor uerbi asperi. Dum enim timemus. detractiones. irrisiones. et obprobria hominum superborum. dumque ab eis in terrena substantia metuimus pergrauari. timentes perdere temporalia. minus quam oportet predicamus ęterna. Et ideo dum per illorum nequitiam aliquid min